

Praxin clinicam morborum infantum / ... publico examini sistet Martin Geiger.

Contributors

Geiger, Martin.
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Georgi Jacobi Lehmanni for J. Grunert, [1715]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pmq8c4rn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,

BORVSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQA.

PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNO

COLLEGII MED. h. t. DECANO,

**PRAVIN CLINICAM
MORBORUM
INFANTUM,**

PRO DOCTORIS GRADU

ET HONORIBUS IMPETRANDIS PUBLICO
EXAMINI SISTET

MARTIN GEIGER,

MEMMINGA SVEVVS.

H. L. Q. C.

AD D. JUL. ANNI M. DCC. XV.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis IOHANNIS GRVNERTI, Acad. Typogr. *Recusa* 1725.



PROOEMIUM.



Ortale genus, postquam primæva ab summi numinis jussu & præcepto defectione pessum se dedit, præceps in omnis generis calamitates, tamquam in profundissimum mare, non modo tunc irruit, sed continuo fere actu longius delabitur. Id ita fieri is facile intelliget, qui secum consideraverit, quantas in animum tenebras illa prævaricatio induxerit, quantam rerum ignorantiam, qua non solum veri cognitione caremus: sed prava etiam dispositione ad errores proclives aut iis potius imbuti sumus. Neque solum intellectum occupavit tam terribilis caligo, sed voluntatem maxime etiam debilitavit & pervertit, ut ea nunc affectibus facile & cuivis desiderio abblandienti succumbat, sicque vitiorum pudendam servitutem ingenuæ & beatissimæ libertati, virtuti inquam, anteponat. Quis autem fando assequetur animi morbos & languores singulos, quum ea non valeamus satis enumerare, quæ corpus affligunt, ægritudinum ac dolorum

innumera genera, ut verissime sane, quisquis dixerit, uniuersum hominem ab ipsa inde nativitate sua morbum esse. Nulla enim ætas est, quæ non sibi peculiare extimescat morbos, nulla corporis humani habitudo, quam complexionem dicere solent, quæ non pateat certis ac variis ægritudinibus, nullus denique sexus, qui non suos habeat, quos metuat, hostes continuo impetum facturos. Quid non perferunt matres, ante quam tædia gestationis superent, & quam paucissimæ sunt quæ gloriari possint quod Lucinam sine mille doloribus, & periculis adspexerint? Non jam dico morbos nobis a parentibus tamquam hereditario jure quosdam ingenerari: sed illud modo verbulo indicabo, quantumvis sani & sine notabili noxa in lucem protrahamur, in mera tamen vitæ pericula nos conjici. Ipse qui nos ambit, & quo animamur, aer, tam facile inopinam mortem & perniciem quam salutem afferre solet. Adeo nihil est tutum, nulla regio, nullum clima est, nullum anni tempus, quod non ad generandos & fovendos in corpore mille morbos quasi stipem conferat, & nullum vitæ genus aut vivendi ratio quæ incommodis careat, immo nullum aut alimentum aut medicamentum quod non idem validissime nocere queat. Tot tantisque incommodis difficultatibus atque miseriis hominis corpus undiquaque cinctum & circumvallatum est, ut pervideri nequeat quæ cura, quæ sollicitudo & diligentia sufficere possit ad impressionem tot simul conjuratorum hostium, tamque diverso modo nos aggredientium, fortiter & diu sustinendum aut quis artium apparatus expedire jam intricatas malignitate partes & integritati restituere satis valeat. Infans in lucem editus

tus cum ejulatu vix salutavit hanc miseriam, quum jam innumeris septus & obsessus periculis de salute quotidie quasi decernere cogitur. Quid faciat autem tenera, imbellis & tantum non omni præsidio orbata ætas, cui nec ipsi licet remedia tollendis malis conquirere, nec indicare quidem ob infantiam, mali sui conditionem aut magnitudinem, nisi forte miserrimus ploratus aliaque tunc accidere solita alienam misericordiam moveant. Quo magis convenit eos, qui salutarem profitentur artem in genuo & attento studio imbecillæ ætatis causam suscipere, ut magis magisque clarum & perspicuum fiat, quæ mala & incommoda hujus ætatis, quibus signis agnosci & quasi prædici queant, qua cautione præcaveri debeant & denique etiam qua arte, quibus præsidiis debellari possint? Is quidem huic dissertationi inaugurali finis præfixus est, & ut consequamur, summi numinis efflagitamus auxilium.

CAPVT I.

DE

MORBIS INFANTUM IN
GENERE.

OBSERVATIONES.

I.

MOrborum infantilium causæ possunt maxime referri primo quidem ad nutricis violentos affectus, secundo ad lac copiosum, crassum, ca-
seo-

seosum & impurum, tertio ad excretionum per aluum turbationem, ex tono ventriculi & intestinorum destructo, quarto ad insensibilem transpirationem impeditam, quinto ad nimis teneram & sensibilissimam membranarum ac generis nervosi texturam, sexto denique ad vitium in diæta tam nutricis quam infantis commissum.

2. Quia infantes propter teneram fibrillarum & membranarum intestinalium texturam, nervorumque sensibilitatem perquam facile anomalis & inordinatis motionibus tam solidarum quam fluidarum partium patient: hinc non modo omnia, quæ excessivis qualitatibus pollent, ipsis noxia sunt; sed & cautissime, summaque cum prudentia ipsis administranda sunt remedia, omniaque parum vehementiora sedulo evitanda.

3. Infantes corpulentiores & spongiosiori carne præditi, & qui lacte copiosiori & crassiori vescuntur, aut qui nutricem habent succi plenam & corpulentam, aliis frequentius morbis atque convulsionibus afficiuntur.

4. Vitium, quod nutrices in diæta & vivendi ratione committunt, persæpe graviter luunt infantes. Quare ut ipsæ fructus horæos, acetaria, usum vini & spiritus vini, nimiumque carniū esum & frigus quoque vespertinum improvide admissum, amplexus quoque mariti, ne menses irritentur, evitent, etiam atque etiam cum cura providendum est.

5. Acida in copia si assumant nutrices, vel liberalius utantur vino, quam facillime fomitem epilepticum infanti ingenerant. Interdicendum quoque ipsis est caseo, quia exinde lac viscidum & crassum evadit, quod ad ob-

stru-

structiones primarum viarum & vasorum lacteorum, nec non ad generationem calculi in vesica, qui non infrequens huic ætati est, proxime disponit.

6. Nil magis & celerius lædit vel turbat infantis statum, quam præpotens nutricis affectus, videlicet ira, vel terror. Incurrunt exinde facile epilepticas convulsiones, præsertim quando protinus ipsis mammæ præbentur.

7. Infanti lactenti non facile nocet vomitus sponte obortus, quia naturæ vigorem monstrat & ab onere alimenti, quod ordinario majori, quam par est, copia assumitur, ventriculus liberatur.

8. Mirum delinquunt nutrices, quæ nimium infantes alunt, & quodocunque male habent, mammas obtrudendo lactant: præsertim vero illud nocet, si infantes sunt valde teneri ac parvi, lac vero crassum ac caseosum, quo casu non possunt non multa in infantem incommoda redundare.

9. Non modo copiosum sed etiam impurum lac viam sternit ad morbos infantiles, tale fit si nimium comedunt nutrices, corpus vero motu non exercent, sed sine labore in magno & alto otio vivunt. Redditur quoque impurum per salsa, acida, nimis acria vel spirituosissima assumpta, & quando menses incipiunt fluere, ubi præstat ab lactatione abstinere.

10. Nihil æque infantibus lac sugentibus male cedit, quam si sæpius lac cum nutricibus mutant. Sicuti enim adulti non æque bene mutationem potus vel alimentorum ferre possunt: simili ratione id magis de sensibi-

fibilioribus infantum corporibus existimare æquum est.

11. Improvidæ alternationes frigoris & caloris non modo infantibus sed quoque nutricibus nocent, præsertim quum mammas aeri paullo frigidiori exponunt.

12. Nil pejus est ac si nutrix passionibus hysterice patet, quum alvus est adstricta &, ob spasmos ac flatu in primis viis, variæ sanguinis & humorum in corporis partibus fiunt congestiones.

CURATIO.

1. Ad præservationem infantilium morborum nil convenientius est, quam, non modo nutrici sed & infanti, paullo largiori etiam in quantitate frequentius offerre infusum herbarum sanguinem edulcorantium cum aqua calida factum, quem in finem non possumus non vehementer laudare infusum Scorzoneræ, Liquiritiæ, seminis foeniculi, herbæ veronicæ, ita enim lac tenue ac fluidum redditur, quo minus angustiora vasa obstruere, sed liberius per omnes corporis tubulos ac glandulas ferri possit.

2. Quoniam in ventriculo ac duodeno lac stagnans facile acescit, corrosivum evadit atque coagulatur, sicque mille gravia mala excitat: hinc omni cum cura agendum est, ut lactis illa tam periculosa coagulatio præcaveatur. Cui scopo admodum egregie serviunt pulveres, qui lapides cancrorum, ovorum testas, radices irid. Florentinæ, crocum, semen anisi vel ejus oleum, sperma ceti, cinnabarim vel lapidum cancrorum solutionem habent atque recipiunt, de quibus dosis bis vel ter singulis hebdomadibus commode offerenda est.

3. Quia sanitatis infantilis negotium versatur maxime

me in debita ac sufficiente fœcum per alvum egestione, hinc ut tonus ventriculi & intestinorum conservetur, nullo vero modo turbetur vel pervertatur, maximopere providendum est. Nil vero potentius id efficit, quam acrium purgantium abusus, externum frigus abdomen feriens, & in nutricibus gravior animi affectus.

4. Omnia purgantia fortiora, acria, ut resinam jalappæ, scammonium, gummi guttæ, elleborum nigrum, esulam, infamia & infantibus absolute noxia declaro, quia non modo ad tormina, & alvi adstrictiones, sed & ad atrophiam & affectus convulsivos disponunt.

5. Ab aloe quoque, ob nimium fervorem & ebullitionem, quam excitat, & sennæ foliis torminosi, abstinant infantes, quia, quo plus remediis alvus ad excretionem irritatur; eo major egerendi postea difficultas, aluique tensio & constrictio subsequitur.

6. Ex mercurio, quocunque etiam modo præparata remedia, præsertim in pulvere ac paullo majori ac repetita dosi, infantibus, qui corrosivam colluviem, ex fœcum virore & torminibus judicandam, fovent, deletæria & infamia judicamus, partim quod gravitate sua hinc inde plicis ventriculi & œsophagi firmiter adhærescunt, partim etiam quod accessu bilis acrioris & corrosivi acidi vehementiorem & corrodentem naturam induunt, unde tonus intestinorum mirifice non modo læditur, sed & ad morbos, qui ex debilitate generis nervosi vel spasmu oriuntur, via panditur.

7. Cum metallicis aliis remediis, ut auro fulminante, martialibus, venereis, & antimonialibus, ut Mercurio

vitæ; pulvere Monckii cautissime quoque agendum est, quia hæc infida & infecura admodum sunt remedia, quum pro conditione humorum in primis viis residendum, quatenus ab iis solvuntur, operationes suas vel languidiori vel vehementiori modo exercent.

8. Omnia quoque acida, quia lac coagulant & obstruunt, infantibus sunt infensissima; hinc lactentibus pariter & lactantibus numquam danda.

9. Ad alvum expediendam & irritandam non facile ultra mannata & rhabarbarina ascendendum est; clysteres vero emollientes omnium sunt utilissimi.

CAPVT II. DE TORMINIBVS INFANTVM.

I.

NUllum malum frequentius tenerrima infantum corpora affligit, quam dolorum tormenta intestinorum membranas exagitantia, siquidem hac in ætate tenerrimæ & ad motum subeundum spasmodicum promptissimæ sunt intestinorum, membrorum ac muscutorum membranæ.

2. Summa acredo, eaque acido caustica, in lactentium intestinis frequentissime generatur, quæ intestina corrodit, inflammat, lac in grandinosos globulos cogit, ac bilem gramineo vel æruginoso virore imbuunt, unde fæces viridissimæ ob acrimoniam lintea corrodunt, podicem vero infantum arrodunt & perpetuum tenesimum faciunt.

3. Corrosivas esse infantium virides fæces, præter iam dicta, vel ex eo patet, quod, quibus excipiuntur, ænea vasa arrodunt, & adjecto oleo tartari per deliquium ex viridi rursus flavæ fiunt. Canes vero, qui alias lubentius lacteas infantum sordes absorbent, ab viridibus excrementis plane abhorrent.

4. Multum ad acrimoniam corrosivam bilis & lactis coagulum, infantum & nutricum iracundia contribuit, sique nutrix a coitu non abstinet, & falsis, acribus & acidis vescitur.

5. Omne, quod tonum intestinorum destruit ac retardat excretiones, ad acrimoniam lactis & bilis multum confert, hinc dolores a dentitionis difficultate suborti, ob spasmos, quibus constringunt intestina, lac corrosivum, fæcesque virides sæpe reddunt, quare non infrequens est dentitioni difficili, si diutius durat, tormina & spasmos ventris ex lacte corrupto associari.

6. Quia nimis creber laxantium, ne dicam purgantium usus tonum ac motum intestinorum peristalticum naturalem destruit, hinc quoque ad lactis stagnationem, acrimoniam, tormina ventris & reliquam cruciatuum scenam viam pandit apertissimam.

7. Atrocia intestinorum tormenta, nisi cito opitulemur, & febres, & epilepticas convulsiones, paralyses quoque asthmata aliaque funesta mala in infantibus proferunt.

8. Si fuerint infantes adultiores ab lactati, fructus horæi, item mellita, saccharata copiosius assumpta, sique citius per alvum obstructam non feruntur, fermentatio-

ne acerrimos succos ingenerant, quorum acrimonia intensior a superveniente fit iracundia. Fiunt inde præcordiorum angustiae, cardialgicae tensiones, febres, biliosae vomitiones, appetitus laesiones.

9. In infantibus recens natis meconii retentio sæpe est causa torminum, inquietudinis, immo convulsionum.

CURATIO.

Eo ante omnia dirigi debet, ut acidum primarum viarum corrosivum absorbeatur, corrigatur, & blande, vel per superiora vel inferiora, educatur. Huic indicationi sequentia remedia egregie satisfaciunt:

1. Porrigendus est sequens pulvis, qui conflatur ex lapidum cancrorum matris perlarum, ossis sepiae, antimonii diaphoretici singulorum drachma semis, extracti castorei liquidi gr. i. olei macis & anisi utriusque guttis duabus, singulis duabus horis ad scrupulum dimidium offeratur in decocto cornu cervi.

2. Clyster ex emollientibus & demulcentibus compositus in fundatur. Talis componi potest ex decocti hordei excorticati uncia una cum semisse, olei amygdalarum dulcium drachmis tribus, syrupi violarum drachmis duabus, olei tartari per deliquium guttis XX. & olei anisi guttis sex, probe commiscendis.

3. Alvus expediatur rhabarbari Alexandrini, lapidum cancrorum drachma una; adjecto syrupo cichorei cum rhabarbaro electuarium fiat, quod in decocto hordei potest assumi, adjecta mannæ convenienti quantitate.

4. Loco potus offeratur decoctum cornu cervi, vel hor-

hordei, vel gelatina cornu cervi ordinario potui immittatur.

CAVTELÆ.

1. In torminibus ventris cavendum utique est ab omnibus stimulantibus, falsis, acribus, præsertim purgantibus. Admodum enim intutum est acerrimam saburram, ante quam corrigatur, per longum intestinorum canalem evacuare.

2. Resinosa, ut est resina jalappæ, imprudentissime infantibus ex lacte corrupto acri laborantibus offertur, & utut copiam humorum aliquot vicibus ejiciat, nihilominus continua sua irritatione tunicarum intestinalium nocet, si vero purgandum pulvis Mechoacannæ albæ cum Syrupo datus sufficit.

3. Præstat potius acerrimam ventriculi & duodeni saburram absorbentibus & corrigentibus alterare, postea mannatis, rhabarbarinis & clysteribus ejus excretionem moliri.

4. Insecura quoque tali casu sunt emetica, utpote quæ facile in intestinis jam dispositis inflammationem suscitant.

5. Neque nutricibus tutum est tali casu offerre purgantia fortiora, ut infans purgetur, nam, cum experientia, tum auctoritate clarissimorum medicorum evinci potest convulsiones in infantibus hac ratione fuisse promotas.

6. Quando spasmi & intestinorum tormina non tam a causâ materiali quam formali, i. e. nervorum tracti-
ne per consensum a gravi in aliis membris dolore sub-

nascuntur, tum laxantia non æque commodum locum inveniunt, sed potius, ut perquam molestæ generis nervosi spasticæ contractiones sopiantur, invigilandum est.

7. Torminibus infantum egregie quoque succurrunt emollientia cum lacte cocta & vesicæ infusa ventrique imposita.

CAPVT III.

DE

EPILEPSIA & CONVULSIONIBVS.

I.

NUllus affectus tam frequens & quasi proprius est huic ætati, quam ab anno primo ad septimum extendimus, ac epilepsia, nullam aliam, ut videtur, ob causam, quam quod infantium nervosæ & sensibiles membranaceæ partes ex tenerrimis & valde contractilibus fibrillis sint compositæ, quæ subsequente ætate firmiores, solidiores ac teniores evadunt, quibus non tam facilis contractio seu irregularis commotio competit.

2. Infans, quo tenerior & ætate minor, & quo sensibiliores affectibusque vehementioribus obnoxii parentes fuerint, aut matres, dum gestarunt fœtum utero, eo plus malo epileptico expositi sunt.

3. Nil celerius dirum hunc affectum in tenellis infantibus producit quam validus terror nutrici incussus, si protinus ab eo mammam præbeat.

4. Infantes comitali morbo facile laborant, quibus habitudo crassior, tensior & alvus adstrictior est, nec non qui copioso ac crasso lacte nutriuntur, & nihil magis epilepsiam proritat, quam quod ventrem fistit.

5. Or-

5. Ordinario in epilepticas convulsiones, difficulter admodum curabiles incidunt infantes, quando nutricibus menstruæ purgationes, quibus ab initio lactationis ad tempus caruerunt, revertuntur.

6. Matres gravidæ & nutrices hystericae, si acateria, fructus horæos frequentius devorant, vel vina liberaliori manu ingurgitant, perfacile fomitem epilepticum infantibus ingenerant.

7. Meconium quoque retentum causa fieri potest epilepsiæ & motuum convulsivorum.

8. Sicuti pueri tuti ab epilepsia redduntur, quibus supervenit favus, crusta lactea, vel scabies cum magnis pustulis: ita istis improvida tractatione retropulsis, ordinario subsequitur epilepsia gravissima.

9. Dolor ex dentitione atrox, tormina quoque ventris & vermes intestinorum tunicas lancinantes sollemnes epileptici mali causa existunt.

CVRATIO cum cautelis.

Hoc modo instituenda est ut intentio & iudicium medici ad causas, vnde malum fuerit ortum, animadvertat. Itaque.

1. Si ex terrore aut alio vehementi affectu nutricis epilepsia nascatur, id potius agendum est, ut inordinatæ spasticæ contractiones placide compescantur, quam ut spirituosius acribus, irritantibus aut purgantibus naturam magis turbemus, & motus exasperemus. Commendamus tali in casu clysteres ex floribus herbarum emollientium & seminibus carminativorum paratos. Laudamus

mus quoque usum pulveris Marchionis, si misceatur cum cinnabari, & addatur parum moschi. Profunt quoque aquæ florum fragrantium, ut tilia, liliorum conval-
lium & alborum, primulae veris, aurantiorum.

2. Meconio primis mensibus non rite expurgato, sed subsistendo acrius facto in intestinorum canali; expurgandum illud est lenioribus laxantibus, quæ misceri possunt cum absorbentibus. Utile hunc in finem est electuarium ex syrupo cichorei cum rhabarbaro, extracto rhabarbari, lapidibus cancrorum & pulvere marchionis paratum.

3. Ex lacte corrupto, corrosivo si vitium hoc proficiscitur, decoctum cornu cervi paullo spissius pro potu sumatur, & clysteres demulcentes & absorbentes pulve-
res adjecto croco, moscho, vel momento extracti casto-
rei in usum vocentur.

4. Si primæ viæ ab sordibus acido-corrosivis sint purgandæ, id præstandum est decocto mannæ successive dato, cui aliquot guttulæ olei tartari per deliquium instil-
lentur.

5. In dolore dentium graviore spiritus noster ano-
dynus mineralis optatissimam fert opem.

6. Si vermium causa subsit, tunc convenit ea dare, quæ hisce interficiendis & expellendis accommodata sunt.

7. Malo epileptico ex repressione scabiei vel tineæ capitis aut aliorum exanthematum nato, vesicatorium non sine fructu in nucha applicatum fuisse experientia repetita didicimus.

8. Quando lac crassum & copiosum causa mali est,
tunc

tunc pauciori lacte infans alendus, & talia præbenda sunt nutrici alimenta, quæ illud fluidius & serosius, quod magis laxat, reddunt.

9. Stagnante & infarcto ventriculo ab coagulato lacte, conveniens est lene emeticum dare. Sufficit autem unius grani dimidium vel tertiam aut quartam partem de tartaro emetico cum Syrupo violarum & aqua quadam destillata solutum, suppeditare.

10. Caute mercandum est in epilepsia cum opiatīs, etiam theriaca cælesti & massa pillularum de Cynoglossa.

11. Ab assumptis purgantibus, præsertim resinosis & mercurialibus crebrius oblatis, in infantibus adhuc lacte viventibus gulæ spasmus, ut continuo deglutire & certum sonum edere cogantur, sæpe animadvertimus quo casu tutius est oleum amygdalarum dulcium cum decocto hordei excorticati, quam purgantia porrigere.

12. In epilepsia & convulsionibus nocet potius quam prodest usus volatiliū, etiam externus spiritus salis ammoniaci, oleum succini, rutæ, quæ omnia caput replent & motus nervorum irritant.

CAPVT IV.

DE

PATHEMATIBVS EX DENTITIONE

DIFFICILI.

OBSERVATIONES.

I.

Nihil plus incommodi vel periculi tenellis infantibus minatur, quam dentium eruptio, quæ non potest doloribus carere, maxime ubi grandiores & acutiores,

ores, ut sunt dicti canini seu oculares, gingivalem carnem perforant.

2. Dolor hic vehemens gingivarum inflammationi plerumque conjunctus, febrem acutam, motus convulsivos, & epilepsiam facile accendit, pavorem quoque in somno, vigilias, vomitus, diarrhœas, asthmata excitat.

3. Infantes, qui ab eruptione dentium male se habent, vel etiam febricitant, non omnes motibus convulsivis tentantur. Præcedit plerumque innata vel acquisita cerebri nervosique generis debilitas, & ad spasmodicas contractiones dispositio, quæ, dolore acuto cum febre urgente, in actum deducitur.

4. Qui alvo sunt laxiori præditi, melius se habent, quam qui sunt adstricta, unde tunc temporis alvum roborantibus vel adstringentibus continere res periculi plenissima est, convulsiones enim & atrociora symptomata subsequuta fuisse, narrant historiæ.

5. Deterrima res est, quando simul & semel plures erumpunt dentes, præsertim canini & molares, quod in sensibilibus subjectis, & qui ab iracundis parentibus nati sunt, non sine convulsionibus junctis fieri solet.

6. Quando eruptio retardatur, crescentibus symptomatibus, naturæ robur imminuitur: unde infantum tenera corpuscula huic oneri imparia redduntur, & morbus in mortem terminari solet.

7. Convulsiones, quæ ex difficultate dentitionis proveniunt, gravius afficiunt caput, maxillas, cum dentibus & oculis, quam alia corporis membra.

8. Signa difficilioris eruptionis sunt inquietudo, mor-
fus

sus papillæ mammarum, rubor & tumor gingivæ, & frequentior manus ad os admotio, alvi fluxus copiosior, qui plus prodest quam nocet.

9. Sicuti omnis vehementioris doloris, ita etiam ejus, qui ex dentibus nascitur, ea est natura, ut univ-
ersum corpus spasmo afficiat, & ventrem constringat, quare
in dentitione difficili plerumque etiam male habent primæ
viæ, dum non modo lac facile acescit & corrumpitur; sed
& inordinate alvus fluit vel supprimitur.

CVRATIO cum CAVTELIS.

In cura id maxime agendum est, ut dolor & inflam-
matio placide sistatur: deinde, ut dentium eruptio pro-
moveatur, cui scopo obtinendo, quæ sequuntur reme-
dia, satis fecisse observatum est.

1. Medulla crurum vituli vel mucilago seminis cy-
doniorum aut linimentum ex spermate ceti, Syrupo pa-
paveris albi, oleo amygd. dulcium, croco, nitro paratum
& inunctum egregio usui esse solent.

2. Sequens mixtura crebrius offeratur, quæ constat
aquis liliorum convallium, fl. tiliæ, primulæ veris, sin-
gularum una uncia, pulveris Marchionis drachmæ dimi-
dio, cum tantundem antimonii diaphoretici, cinnabaris
scrupulo & croci sex granis; quibus adjiciantur liquoris
nostri mineralis & spiritus salis armoniaci, de utroque
guttæ circiter decem, & syrupi de pœonia vel de papave-
re rhœade ana drachma singularis.

3. Alvus obstructa clystere emolliente & oleoso
aperienda est.

4. Nocent in dentitione difficili omnia calidiora, purgantia, externa quoque valde spirituosa naribus oblata, quia omnia sunt in motu, quem intendunt magis & exacerbant, quam placant, & quia febris ordinarius doloris comes est.

5. Ex dentitione difficili quando infans laborat, suademus, ut nihil solidioris cibi assumat vel infans vel nutrix, cui potius aquæ potus imperandus est, & tenuissimus victus; infans vero tenuioribus sorbitionibus nutriendus est.

6. Sicuti semper tutius est in infantium gravibus morbis nutrici præbere medicamenta, quam infanti: ita quoque hoc valet in gravioribus dentitionis difficilioris symptomatibus, ubi lactanti feminæ remedia antispasmodica ex rad. pœoniæ, cornu cervi sine igne, unicornu fossili, succino, ambra, moscho, castoreo cum victu tenui & refrigerante danda & imperanda sunt.

7. Quando dentes plane renuunt erumpere, sectione ipsis faciendus est exitus, & scalpello membrana, cui incumbunt dentium extremitates, incidenda est, quod sæpius ex voto successit experimentum.

8. Peccant maximopere matres, quæ infantes in morbis, quibus dolor febris aut inflammatio jungitur, nimis calido regimine tractant, & lectis aut conclavibus nimis calidis eos includunt.

CAPVT V. DE VERMIBVS.

I. Ver-

Vermes admodum frequentes sunt intestinorum infantium hospites magis tamen eos fovēt ablactati, quam qui lacte adhuc nutriuntur.

2. Vermium indicia sunt tormina, nausea lypothymia, phlogoses, tusses, fluxiones & pruritus narium, salivationes crebriores, oris fœtor, urina turbida, febris, vomitus matutinus, ventris intumescencia & dolor.

3. Vermes sæpissime dolores pleuriticos sub costis spuriis, mentiuntur, quum in intestino colo versantur. In ventriculo si resident, famem syncopen & cardialgias faciunt: in medio ventre fluorem alui & lienteriam: in intestino recto, pruritum & tenesmum, & ferme semper febres putridas, quotidianis similes suscitant.

4. In pueris vermes frequentius gravissimarum tragœdiarum, stupendarum convulsionum & motuum epilepticorum causa sunt, ut incantamenti sæpe suspicionem afferant: quæ omnia symptomata, enecatis & exclusis vermibus, levantur.

5. Si in ventriculo sunt, stomachus sæpe inflatur, & tumet, ut compresso diaphragmate, suffocationis periculum immineat.

CVRATIO cum CAVTELIS.

Hæc commodissime procedit, quando habita ratione subjectorum, causarum & circumstantiarum prudenter anthelmintica adhibentur, quæ cum varia sint, variam etiam indicationem desiderant.

1. Acidula, ut succus citri, spiritus vitrioli, spiritus nitri, phlegma Vitrioli, ad vermes necandos medicamentata sunt utilissima, præsertim in febribus verminosis; nocent vero majori in copia, quia chylum valde coagulant, neque usurpanda sunt in lactentibus.

2. Camphora, tanacetum & ejus oleum, myrrha, allium, scordium, absynthium, omniaque purgantia, extr. esulæ, resina jalappæ, præstantissima sunt anthelmintica, cautissime tamen cum iis agendum est, quia facile dum vermes iisdem ejicere conamur, febrem vel alia mala excitamus.

3. Præsentissimum adversus vermes remedium habetur mercurius dulcis, qui etiam sua laude non est fraudandus, cave vero in pulvere vel etiam in copia propines, quia summus virium languor non semel eius abusum sequutus est, cave quoque ab hoc remedio si duodenum acri caustica bile scatet, ne truculenta symptomata insequantur. Commodissime vero datur in electuarii, vel melius adhuc in rotularum forma.

4. Quando mercurialia & acria itemque purgantia danda sunt, præstat in lacte ea exhibere, vel lac super bibere, ita enim felicissime sæpe educuntur vermes.

5. Specificus anthelminticus hic est pulvis qui constat mechoacannæ, mercurii dulcis, seminis santonici, corallinæ, rhabarbari, scordii, cornu cervi usti & nitri, singulorum drachma dimidia, camphoræ sex granis.

nis. Pro ratione ætatis in varias doses dispensandus est, redactus etiam in formam electuari dari potest cum syrupo decichoreo cum rhabarbaro vel manna.

6. Quando in ventriculo vel tenuibus intestinis hospitantur, clystere ex lacte & melle infuso ad inferiora alliciendi sunt.

7. Salia, ut nitrum, arcanum duplicatum, sal quoque commune, sal ammoniacum vermibus sunt infensissima, quia non modo eos interficiunt, sed etiam expellunt, qua de causa acidulæ, thermæ, vel aquæ falsæ, ex quibus sal commune coquitur, liberalius haustæ, felicissime sæpius colluviem vermium foras proscribunt.

8. Nitrum in potu datum in febribus ex putredine verminosa ortis, magno commodo ac salutis est, partim quia refrigerat immodicumque calorem temperat, partim quod dolores & spasmos sistit & vermibus inimicum est.

9. Pessima nota est, si in ventriculo resident vermes, neque aliud commodius est, præsertim in adultis, quam acidulas vel aquas falsas bibere, aut pillulas quas asam foetidam, aloen, myrrham & balsamum sulphuris habent, assumere, quibus atrocissimæ convulsiones ex vermibus ortæ sanatæ fuerunt.

10. Cautissime cum vitriolaceis, præsertim venereis, in hac ætate procedendum est, ne coagulando vel irritando intestinorum ac ventriculi tonum, graviter turbent ac lædant.

ALIIS INFANTVM MORBIS.

OBSERVATIONES.

I.

INter infantiles morbos maxime referendæ sunt tusses simplices & suffocatoriæ, cardialgiæ, atrophia, rachitis, achores, aphthæ, qui singuli vel a vitio primarum viarum aut corruptione succorum, nervorumque molestatione, obstructione ac nutritione depravata vel impedita perspiratione suboriuntur.

2. Tussis sæpe ferina & sicca infantes exercet, cum magna respirandi difficultate & suffocationis metu, & epidemice sæpe grassatur.

3. Asthma quasi suffocativum fit vel ab inflatione nimia ventriculi, ob lac viscidum ibi copiose stagnans diaphragmatis expansionem impediende: quandoque etiam hoc asthma spasmodicum est & ab repulsa e peripheria corporis ad interiora materia excrementitia acri in purpura, tinea capitis, erysipelate vel crusta lactea fit, vel etiam ex eo habet, quod respirationis nervi tenduntur per consensum in dolorifica dentitione.

4. Morbilli, præsertim improvide tractati, & quando excretiones alvinæ, vel etiam transpiratio insensibilis post morbum non debita arte procurantur, sæpissime relinquunt asthma ac infarctum pulmonum a viscido aeri humore.

5. Cardialgia fit ab inflatione ventriculi, vel etiam
inte-

intestini coli stagnantibus humoribus in flatus' resolutis. Nota est quando costarum spuriarum tanta est extensio, ut manum subdere vix possimus. Adsunt ingens anxietas, inquietudo, vigilia, dolor.

6. In infantum atrophia venter præter modum turgēt, corpus reliquum sensim ita exarescit, ut instar scheleti habeatur, alui quoque fluxus molestat: estque magis ablactatis familiaris, præsertim si nocte potus frigidus paulo liberalius concedatur.

7. Aphthæ sunt pustulæ ardentes, quæ linguam fauces & palatum obsident, & perquam familiares sunt infantibus ex lacte acido & corrupto, præsertim si nutrices sunt hypochondriacæ, vino deditæ, iracundæ, aluique obstructionibus obnoxia.

8. Achores, vari aut tinea tubercula sunt ulcerosa, & fiunt a vitio vel corruptione feri salsi, visceri, in glandulis & tubulis subcutaneis subsistentis. Debentur ut plurimum nimia voracitati & externo frigori.

9. Rachitis in Anglia solis infantibus olim familiaris, innotuit etiam nostris regionibus; fit cum magna inæqualitate nutritionis partium, a succo nutritio viscido non liberius ob spasmos partium nervosarum influente.

10. In rachitide nonnullæ partes indurescunt, aliæ flaccescunt & subsident. Ita fit abdominis intumescencia, thoracis vero angustia, caput est magnum, pedes extreme parvi, ossa sunt incurva, præsertim cubiti & tibiæ. In nonnullis spina dorsi varie inflectitur, ut pedibus vix insistant. Duri etiam nodi circa articulos conspiciuntur.

11. A primo ortu rarius affectus hic infestat, frequen-

quentius mensibus aliquot elapsis, ad tertium vel quartum usque annum.

12. Sectis cadaveribus viscera ingentis magnitudinis, præsertim hepar, & glandulæ quoque in tumefactæ deprehenduntur, cerebrum autem duplo majus, quam ordinario esse solet.

13. Ab aeris vitio ac tempestatum mutatione dependent maxime catarrhales & serosi, item in cute residentes affectus, ut sunt coryzæ, gravedines, tusses, raucedines, crusta lactea, parotides, oculi & aures manantes, pectoris infarctus cum roncho & sibilo.

CVRATIO cum CAVTELIS.

1. In tussi & asthmate infantum adeo nil proficiunt dulcia, incrassantia & vulgaria pectoralia, ut potius noceant.

2. Sperma ceti cum oleo amygdalarum dulcium & saccharo canto, addito croco & guttulis aliquot olei anisi, ad acrimoniam demulcendam instar omnium esse possunt.

3. Interius pulveres absorbentes cum radice irid. Florentinæ, & elixir carminativum balsamicum, quod compositum est ex tinctura tartari, ess. gummi ammoniaci, myrrhæ, croci, nucistæ, corticum aurantiorum, spiritu salis ammoniaci anisato egregie voto satisficient.

4. Exterius inunctiones cum axungia humana & spiritu salis ammoniaci, itemque clysteres ex carminativis & emollientibus suppetias ferent exoptatas.

5. In inflatione ventriculi & asthmate a lacte coagulato, stagnante vel acri visciditate præcordiales nervos vellicante ortis, cum fructu datur lene emeticum ex grano dimidio vel quarta parte tartari emetici cum soluta manna paratum.

6. In asthmate, quod fit ab repulsa materia, egregia

gia sunt vesicatoria nuchæ apposita.

7. In atrophia ea, quæ aperiunt obstructas glandulas, ut arcanum duplicatum, tinctura martis Zwelferi, terra foliata tartari, solutio oculorum cancri provide data, usus sunt non contemnendi. In macie, quæ fit ab obstructione pororum cutis, emollientia balnea nec non frictiones cum aqua & farina valde profunt.

8. Saccharum lactis in cremore hordei solutum, in acie datum, peculiaris efficaciam observatur.

9. In externis cutis affectibus nocent omnia oleosa & quæ poros obstruunt: profunt vero infusa sanguinem depurantia, absorbentia, & laxantia ex mercurio dulci, rhabarbaro & manna conflata.

10. In rachitide, quæ lentorem humorum resolvunt & obstructions referant, omne punctum ferunt. Unde tinctura tartarifata, tinctura antimonii acris, infusum sanguinem purificans, balnea emollientia, cinnabarina, quæ tutiora sunt quam mercurialia, ad curam perficiendam optimam locabunt operam.

11. In aphtis prodest externe succus raparum cum vitello ovi & saccharo subactus, cremor etiam lactis cum tantillo nitri mixtus. Interne decoctum cornu cervi dandum & alvus manna & nitro expedienda est.

12. In catarrhalibus defluxionibus, manantibus oculis & auribus, raucedine, tussi & coryza nutricibus infusa sanguinem & lympham diluentia ex rad. liquiritiæ cort. & ligno sassafras, semine fœniculi, nec non pillulæ de succino Cratonis & elixir pectorale superius descriptum offerre oportet. Infanti vero pulvis ex iride Florentina, lacte sulfuris, antimonio diaphoretico, lapidibus cancro- rum, croco & oleo anisi præbendus est.

13. Quan-

13. Quando nares obstructæ sunt, ut respiratio aliquantum obstruatur, butyrum vel etiam aquam majoranæ naribus admoveere oportet.

14. Parotides exigunt interne remedia resolventia, ut tincturam sulfuris antimonii cum Essentia succini vel croci mixtam, exterius vero emplastro diachylo simplici & cataplasmate emolliente, si tumor renuit discuti, ad maturitatem perducendus est.

15. Quando purpura infans afficitur, quod non raro fit ex salacium nutricum lacte, vel quando acida & vinum crebrius assumunt, tunc absorbentia & acorem temperantia nutrici & infanti dare debemus: & magnesiæ albæ pulvis, dum blande laxat, non inconveniens est.

16. Quando cunque a nutricibus impurissima veneris lue infectis teneri infantes inficiuntur & maligna ulcera acquirunt, antimoniatum ex regulo antimonii medicinali, tinctura antimonii tartarifata, & acris, cum essentia lignorum, nutrici prodest. Deinde mercurio dulci bene præparato & extracto rhabarbari nutrix & infans purgandi sunt, & infusum seu potius decoctum lignorum temperatius potui nutrici datum lymphæ vitia egregie corrigit.

17. De variolis & morbillis, huic ætati valde congruis & familiaribus morbis, egimus in disputatione quam de febribus, earumque clinica praxi, conscripsimus.

18. Ultimo loco monendum, quod quo accuratiori diæta utuntur nutrices, & ab animi affectibus sibi temperant, motu corpus exercent, acidis & spirituosius abstinent, nec corpus refrigerant, & cibos bene nutrientes cum sufficienti tenui potu assumunt: eo firmiori lactentes infantes frui valetudine.